

B. 378.



VII.  
DE BIBLIOTHECIS ET MVSEIS  
ERFORDIENSIBVS.

PRAECIPVE  
*DE REV. MINISTERII AVG. CONF.*  
*BIBLIOTHECA.*

PARTICVLA IV.

QVA  
AD EXAMEN VERNVM

D. III. IV. ET V. MAJI MDCCCII.

IN GYMNASIO SENATORIO HABENDVM  
INVITAT

ET

SYMBOLAS IN BIBLIOTHECAM  
ET MVSEVM GYMNASII

PER SEMESTRE PRAETERITVM VNDECIMVM A BENE-  
VOLENTIBVS COLLATAS RECENSET

GYMNASII DIRECTOR

*IO. IOACH. BELLERMANN,*

THEOL. ET PHILOS. P. P. O., ACAD. EL. MOG. SCIENT. VTIL. SOCIVS

ET AB EPISTOLIS, SOCIETAT. LATINAE IENENS., OECON. LIPSIENS.,

MINERAL. IENENS., PATRIOT. WESTPHAL. ET NAT. CVRIOSOR.

BROCKHUSA - WESTPHAL. SODALIS.

— 3 —  
ERFORDIAE,

Typ. IOAN. CHRIST. GOERLING, Acad. Typogr.

Quam telam in praecedentibus programmatibus exorsus sum  
jam pertexere pergam.

*Codex IV.*

Codex manuscriptus membranaceus in folio majori, quolibet membrana  $1\frac{1}{2}$  pedum rhenanorum longa, et  $1\frac{3}{4}$  lata, foliis pergamenis CCLXXXII, ternis, rarissime una vel binis columnis in qualibet pagina, lineis XXVII in columna, caractere quadrato intermedio, elegante et accurate picto, in Masora aequae ac in textu nitido, atramento ex fuligine, et minime e gallis, exarato. Quanquam atramentum in quibusdam foliis flavescat, attamen in usu minus tritis fuliginem nigerrimam exhibet codex hic pretiosissimus.

Insunt: I. *textus hebraicus*, et quidem 1) *Pentateuchi*; 2) *librorum Megilloth*, s. quinque scriptorum festalium, hac serie, *Cantici*, *Ruth*, *Threnorum*, *Cohemoth* et *Esteris*; 3) *Haphtararum*, i. e. Pericoparum LXXVII, s. lectionum e Prophetis excerptarum; et 4) *libri Iobi*; II. *textus chaldaicus*, s. Targum in Pentateuchum, singulis versibus intertextuale. Septem tantum Haphtarum (nimirum 63<sup>tae</sup> hispanicae e Iosua 5, 2-6, i. desumptae; 64<sup>tae</sup>, e 2 Reg. 23, 1-6. et 21-25; 65<sup>tae</sup>, ex Ezech. 37, 1-14.; 66<sup>tae</sup> e 2 Sam. 22, 1-35. et vers. 50. 51.; 67<sup>mae</sup> e Ies. 10, 32. -12, 7; 68<sup>vae</sup>, ex Ezech. 1, 1-14. et vers. 27. 28; 69<sup>nae</sup>, ex Habac. 3, 1-19.) versio chaldaica, finitis singulis Haphtarum, annexa est \*). Omnes libri Megilloth, Haphtarum, si discesseris a septem nominatis, reliquae, et Iobus paraphrasi chaldaica carent. III. *Notae masorethicae* in Pentateuchum, libros Megilloth, et Iobum paucae, in Haphtarum nullae.

Co-

\*) Ex supra allatis illud, quod I. H. Michaelis in praefatione Bibliorum 1720. p. 4. asseruit, „omnes hujus codicis Haphtarum sine translatione chaldaica esse exaratas“ corrigendum est.

Codex hic ab initio est mancus, incipit enim Genes. 34, 5. כִּשְׂרָה וְהַחֲרִישׁ; desunt itaque, ut ex residuis dijudicandum est, XXIV folia, seu tres scapi, s. potius tres plagularum juncturae, quarum quaelibet in hoc manuscripto octo foliis constat. Paululum etiam est mutilus in fine, quatuor enim folia ultima injuria vel temporis, vel loci uliginosi, quo repositus forte fuit, detrita et lacera sunt, ita ut horum quatuor foliorum pars tertia quaelibet seu columna tertia desit.

De Scriba, a quo hic codex exaratus est, de anno, quo scriptus, et de possessoribus nil certi nec in codice ipso nec in ligatura detegere potui. In crassis tegumentis quernis, corio obductis, anconibus ex orichalco munitis, (nunc valde laesis) quibus hic codex compactus est, leguntur tantummodo haec verba caractere magno rabbinico cursivo exarata, אֱלֹהֵי שְׂמֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל (haec sunt nomina filiorum Israelis,) et caractere parvissimo יֵעָקֵב בְּרַךְ יוֹסֵף בֶּן יֵעָקֵב. Quis hic Iosephus Filius Rabbinii Iekachi fuerit, et quando vixerit, nescio. Dieta etiam biblica, quae ultimi folii parti adversae inscripta sunt, plane nil de librario, possessore cet. continent.

In opere Kennicottiano hic codex ad finem seculi XIII reponitur. Ex comparatione autem hujus codicis cum praecedente tertio, cui Brunzio-Kennicottus seculum XII adsignavit, hunc vel antiquiorem, vel certe coevum judicare propensus sum, quanquam aetatis indicia minus rite demonstrari, quam aspectu talis monumenti sentiri et ex habitu toto concludi posse videantur. Scriptura enim est perelegans, non tantum in textu sed et praecipue in Masora; character literarum simplex et sine artificio exaratus; Masora parca; usus קרי et חתיב rarus; spatium inter Genesin et Exodum, inter Leviticum et Numeros, et Deuteronomion quatuor linearum, ita ut scriptio in Pentateucho sit fere continua; spatium inter Paraschas duarum linearum \*); literae majusculae, minusculae, inversae et cet, quarum

\* Vid. tract. Sopherim; Baba bathra fol. 13. 2. Maimon Sepher Thora c. 7. §. 15. f. 95. 2. et Keseph Mischna ad eundem.

rum usus in recentioribus MSSis frequens est, in nostro codice rarissimae; ornamenta figuris animalium aliarumque rerum artificiose picta, in primo et secundo codice ubivis, in tertio raro obvia, in nostro quarto plane nulla; membranarum color flavior; ligatura obsoletissima. Ceterum canones aetatis MSSorum hebraicorum definiendae omnibus numeris absolutos nondum constitutos esse me non fugit.

*Haphtarae*, seu lectiones e Prophetis non concordant cum vulgaribus, quae apud Iudaeos Germanos et Polonos in usu sunt, quod omni modo mirum et notatu dignum esse videtur. Libellarius loco plurium vulgarium hispanicas Haphtaras descripsit, inde conjicere licet, hunc codicem vel in Hispania, vel ab Hispano Iudaeo esse exaratum, cui hypothese character elegans hispanicus, et emendationes ex collatione cum aliis codicibus ortae, supra et infra columnas positae, quanquam rarae, bene congruunt; Hispanis enim Iudaeis et elegantia literarum et critices studium in medio aevo prae aliis excultum tribuitur.

In Haphtararum tabula Biblii hebraicis (e. g. ed. van der Hooght T. II. fol. 352) annexa decem Haphtarae notantur, quae sunt diversae apud Iudaeos Hispanos et Germanos, eaque characteristicae seu definitivae. Ex his codex noster sex sistit hispanicas, nimirum 21<sup>mam</sup>, 22<sup>dam</sup>, 23<sup>tiam</sup>, 52<sup>dam</sup>, 57<sup>mam</sup> et 63<sup>tiam</sup>, (1 Reg. 18, 1-39. 1 Reg. 7, 13-39. 1 Reg. 7, 40-8, 1. Hos. 14, 2-10 una cum Ios. 2, 15-27. 1 Sam. 15, 2-33 et Ios. 5, 2-6, 1.) quae vulgo dicuntur כְּמִנְהַג הַסְפָּרַדִּים Cheminbag hasphardim i. e. *ad ritum Hispanorum*. Praeterea hic codex duas alias Haphtaras, dictas כְּמִנְהַג אֲחֵרִים Cheminbag acherim, i. e. *ad ritum aliorum Iudaeorum* exhibet; nimirum Haphtaram 59<sup>mam</sup> ex Ezech. 45, 18-46, 15. et 65<sup>ram</sup> ex Ezech. 37, 1-14. Bis duplices Haphtarae, et hispanica et germanica, adjectae sunt, nempe [Hapht. 22<sup>da</sup> et 52<sup>da</sup>]; in hoc loco germanicae praecedit hispanica. Iusuper quaedam pericopae hic inveniuntur, quae neque hispanicis nec germanis adnumerantur; e. g. ad Parascham 41<sup>mam</sup> פְּנִיָּה adjecta est e Ierem. 1, 1-2, 3. (loco 1 Reg. 19.) quae

sec-

sectio vulgo 42<sup>da</sup> Paraschae tribuitur. Haphtarum 44<sup>am</sup> sequitur e Ierem. 8, 13—9, 23. quae Sectio neque in catalogo Haphtarum Bibliis annexo, nec in Haphtarum a Bombergo editis (Venetiis 1561. 8.) occurrit. Nostrum itaque codicem a vulgaribus germanis multum redocere, nec immerito in familiam codicum hispanorum referri haec pauca demonstrant.

Ceterum hoc manuscriptum, quod, persecutione Iudaeorum a plebe christiana Erfordiae ut alibi in Thuringia inflata, anno 1549 Iudaeis Erfordiensibus ereptum est, in Bibliis *I. H. Michaelis* Halensibus citatur codex Erford. IV., et in operibus *Kennicotiano* et *de Rossiano* cod. 605.

Gymnasii Bibliotheca Museumque incrementa per praeteritum semestre sequentia tulit.

Herr Domherr Bar. Fr. v. Dalberg: (zweit. Beitr.) The villas of the ancients illustrated by Robert Castell. Lond. 1728. in Royalfolio. m. K. Ein Hauptwerk über die Villen der Alten. — Herr Kaufm. Eppelin: eine amerikan. kl. Silbermünze mit Washingtons Brustbilde. — Herr Graf und Kammerherr Fr. v. Beust: sechs seltene kl. Silbermünzen und zwei Bücher, als einen der ersten böhmischen Groschen v. Wenceslaus II; eine ungar. Krönungsmünze v. 1690; eine englische von Carl II. eine dänische v. Friedrich &c., an Büchern: des Herrn Verf. Feldzüge der sächs. Armee, 11 Th.; dessen Jahrbücher des Fürstenth. Altenburg, 11 u. 2r Th. — Herr Kaufm. Silevogr: einige Achatstückchen, 2 kl. Konchilien u. 1 Kapselmünze. — Herr Apotheker Buchholz: (dritt. Beitr.) 1 alten-bräunschw. Groschen. — Gymnas. Fleck: 5 Konchilien. — Herr Kandid. C. C. Rudolph sen. (zweit. Beitr.) Stumpfs Denkwürdigkeiten der deutsch. Gesch. 15 Hef. 1802; I. Claji Herzbergens. lib. de maris veterum. — Herr Prof. Möllner: 1 alten thuring. Silbergroschen. — Herr D. Arnold: (zweit. Beitr.) 14 Stück viereckig geschliffene Alabaster Arten, als Strahlgyps, Band. Wolken Alabaster &c. — Herr Fabrikant I. I. Hofmann: (zweit. Beitr.) 12 St. Mineralien, als Schiefer mit Markasiten, v. Ilmenau; weisser Eisenstein v. Konitz, Bandjaspis &c. — Gymn. Laubling: (zw. Beitr.) 2 silberne kl. Münzen und historische Untersuchungen v. Meusel, 1 B. 2 St. — Herr Abbé Schweizer: (zweit. Beitr.) einige graupenähnliche Stücke von der sonderbaren Warzenhaut der sogenannten Meerschwein-Menschen, Porcupine-man. — Herr I. I. B.: verschiedene Hyacinthen, eine Art von Edelstein &c. — Herr Oberjägermeister v. Hofmann in Schlesien: eine feine und seltene Silberstufe. — Herr Hofkammerath u. Prof. A. F. C. Reinhard: (fünft. Beitr.) siebenzehn Bände, als. Sam. Pitisci Lexicon antiquitatum Romanar. I—III in folio; Neuvermehrte Welpische Gnomonik, fol.; Cellarii notitia orbis antiqui, ed Schwarzii. L. I—IV. in 2 Quartbänden; C. C. Sallustii quae exstant, ed. G. Corrii 4; De la Hire astronom. Tab. v. Klimm. 4; Th. Streeti Astronomia Carolina nova, ed. Doppelmeier, 4; I. F. Noltenii Lex. Lar. antibarbarum, ed. secunda, c. praef. Moshemii gr. 8.; H. Hooge

Hoogveen doctrina particular. Graecar. rec. C. G. Schütz, gr. 8; Erxlebens Naturlehre; Newtons Weltwissenfch. f. Frauenz. v. Algarotti. 8; Leutmans Nachr. v. d. Uhren, 8; Schwimmer delicia phys.; Vechneri Hellenolexia; Bartholini de cruce hypomni; ita ut hic unus Fantor Gymnasii liberalissimus 116 volumina librorum ex parte praestantissimorum pretiosissimorumque ad Gymnasii Bibliothecam generosissime contulerit; cui ut omnibus reliquis *Evepyras* grates habeat Gymnasium sempiternas. — Ceterum ex benevolo Professorum Gymnasii decreto duo magna scrinia libraria pro Gynn. Bibliotheca, nec non 450 capsulae lignae et 20 vasa vitrea pro Museo sunt comparata. Oportandum est, ut etiam ad librorum nondum ligatorum tegumenta et ad alias Bibliothecae Musaeique res necessarias studii Erfordiensis Promotores aliquid conferre bene velint.

Quoniam dissimulatio nusquam minus ferenda est, quam in rebus ad rem publicam pertinentibus, nullum vero negotium omnium civium magis interest institutionis publicae conditione; typum lectionum per praeterlapsum semestre tractatarum, omnibus ambagibus missis, adjicio, ut unusquisque de ratione studiorum, quibus iuvenes apud nos per hos sex menses imbuti sunt, certior fiat. Quamquam hi lectionum typi semestres *Visis Inspectoribus venerandis* in quolibet examine, consueto more, in Protocollo sic dicto offerantur, attamen studiorum seriem eo lubentius etiam hoc loco sisto, quo studiosius mutuam praefectorum et magistrorum fiduciam (quae in qualibet societate felicitatis fulcrum est eburneum) firmare specto.

I. *Lectiones Directoris Gynn. in classe I.*, 1) hebraicae: 2 Sam. XXIII. ad I Reg. VIII. adjecta phrasium analysi; 2) encyclopaedicae: Medicina, duce Krug; 3) latinae: Ciceronis orat. III et IV in Catilinam et extemporalia. *In cl. II.* 1) hebr.: e chrestom. Gedikiana hebr. a pag. 50 — 75. i. e. Exodi c. 19. — 20. Ios. c. 1 — 4. 6. 23. & 24. 2) lat. Cicer. epist. ad fam. L. XII. 10 — 30. et imitat. extemp. *In cl. III.* 1) Hebraicae ling. elementa duce Biedermanno et Gedikii chrestom. hebr. p. 7 — 12. i. e. Genes. c. 22 et 27. 2) Phaedri fabul. L. IV. 3 — V ad fin. *In Seminario*: histor. biblic. et praecipue de Scriptis N. T.

II. *Lectiones Prof. Ritschlii in cl. I. & II.* ephemerides politicae; *in cl. III.* exercitia lat.; *in Seminario*: computationum eccles. rite instituentiar. isagoge practica et Oeconomia.

III. *Lectiones Prof. Sinnboldi in cl. I.* 1) graecae: Theocriti, Bionis et Moschi Idyllia; 2) Homeri Iliad. Rhaps. I. 245 — 510. 3) Ev. Matth. c. 1 — 10 cursorie; 4) gallicae: l'avaré de Moliere. *In cl. II.* 1) graec. chrest.



chrest. part. VIII. ex Herodiano, et part. IX. e Xenophontis Cyropaedia. L. IV. V. 2) gallicae: les fourberies de Scapin de Moliere et les verbes irregoliers. *In cl. III.* 1) graecae: e Palaephato c. XII—XVIII. 2) Ev. Matth. c. XXVI. ad fin. 3) gallicae: Principes de la langue françoise, et Bons contes et bons mots CIX—CXXXVI. *In Seminario:* Styli epistolae germ. exercitia.

IV. *Lectiones Prof. Herrmanni in cl. I.* 1) lat.: Livii hist. rom. L. III. c. 34. ad fin. 2) Extemporalia lat.; 3) theologicae: doctrina relig. et mor., duce sui ipsius compendio, p. 71 ad fin. *In cl. II.* 1) lat. Terentii Andria, Act. V. Scen. III. ad fin. et Heautont. Act. I—IV. Sc. I. 2) Extemporalia lat., 3) theologicae: doctr. rel. et mor. p. 71 ad fin. *In cl. III.* 1) lat. Cornel. Nep. imp. XVII et XVIII. s. Ages. et Eum.; 2) exerc. lat.; 3) Ciceron. ep. select. L. I. ep. 21—46. 4) theol.: doctr. rel. et mor. p. 71 ad fin. *In Seminar.:* doctr. mor. et rel. p. 71 ad fin.

V. *Lectiones Prof. Moelleri in cl. I.* 1) poeticae: Horat. Satyr. II. 2 ad fin.; 2) exercitia poetica; 3) mathematicae: elementa calculi litteralis et Algebr. *In cl. II.* 1) lat.: Virgil. Aeneid. IX, 1—X, 275. 2) exercit. poet. et quidem in metr. eleg. 3) math.: Geometr. plan. P. II. *In cl. III.* 1) Ovid. trist. V, 1 & 2. 2) Prosod. lat. 3) Arithm. P. II. *In Semin.* Stereometria practica.

VI. *Lect. Prof. Petri in cl. I.* 1) latinae: Cicer. de officiis L. I. c. 1—10.; 2) elaborationes lat. pros.; 3) germanicae: Snell de stylo germ. p. 55—158. 4) physicae: duce Nicolai. p. 54—148. *In cl. II.* 1) lat. Fischeri histor. sel. V. 35—43; 2) elab. lat. pros.; 3) Snell de stylo germ. p. 158 ad fin.; 4) histor. natural. *In cl. III.* 1) Grammat. lat. Broederi, p. 89—302. et ejusd. chrest. p. 16—34; 2) Adelungii gram. german. p. 100. ad fin.; 3) Mythologia secundum Dammium, p. 97 ad fin. *In Seminar.:* Ristii isagoge ludi magistror., p. 325. ad fin.

VII. *Lect. Prof. Hegelii in cl. I.* 1) logicae: secundum Villaume c. 11—15; 2) histor. universal. Period. VI. a Carol. M. ad expedition. sacras. Per. VII. ad reform. Lutheri; 3) geograph.: Gallia, Batav. Helvet. Cisalpin. duce Pfennig. *In cl. II.* 1) histor. Teuton. a Carol. M. ad Maximil. I. secund. Galetti; 2) geogr. imper. German. sec. Pfennig; 3) lat.: Ovid. Metamorph. L. III, 1—IV, 165. *In cl. III.* 1) histor. univ. sec. Niemeyeri tabb.; 2) Geograph. German. sec. Fabri compend.; 3) lat. Gedike narrat. lat. 65—92. *In Seminar.:* Geograph. Germaniae.

VIII. *Lect. Collaboratoris Ritschlii*, fl.: in Seminario: 1) lat.: Gedike lib. lat. 2) Ars catechizandi et exercitia catechetica.

IX. *Lect. Magistri scribendi et Arithmeticae*, nec non *Musices Directoris Stoltzii* in Seminario: 1) Orthogr., Calligraph., Arithmetica et quidem doctr. numerorum fractorum cet; 2) ars cantandi et exercitia majora musica, tam vocalia, quam instrumentalia.

Ad id nunc, quod hujus prolusionis ratio postulat, progredior. Duo junenes ingenui optimaque spei, literarum humaniorum studiis apud nos per quinquennium innutriti, et ad acroases academicae accessuri, orationibus a se compositis, quantum in artibus elegantioribus ad discendis industriae posuerint, demonstrabunt.

I. IOANNES CHRISTOPHORVS FLECK, Erfordiensis, tertio examinis die „*De veterum pecunia viva, pensili et nummo signato*“ latine aget.

II. IOANNES MICHAEL LAVBLING, Erfordiensis, „*De ludis Graecorum Olympicis*“ sub finem examinis latine declamabit, et, gratias, quibus debentur, relaturus, suo et commilitonis nomine salutationem ante abitum ultimam faciet.

Praeterea iuvenis indole et moribus probatissimus,

III. ERNESTVS FRIDERICVS AVGVSTVS SCHENK, Schwarzburgo-Sondershusanus, oratione itidem a se composita „*Res Romanas sub regibus*“ sub examinis initium latine describet.

Hos igitur actus, ut sua praesentia *Viri Patroni et Ebori venerandi*, nec non *quilibet literarum humaniorum amici* condecorare velint, observanter rogamus, Dab. d. 1. Maji MDCCCII.

Aa 535

40



VD18

ULB Halle


3

005 126 69X



M. C.





DE BIBLIOTHECA  
ERFORDENSIS  
PRAESENTATA  
DE REV. MINISTRO  
BIBLIOTHECAE  
PARTICULARI

AD EXAMEN

D. III. IV. ET V.  
IN GYMNASIO SEN  
IN V.

SYMBOLAS IN  
ET MVSEVM

PER SEMESTRE PRAETERI  
VOLENTIBVS COL

GYMNASII

IO. IOACH. B.

THEOL. ET PHILOS. P. P. O., ACA  
ET AB EPISTOLIS, SOCIETAT. LA  
MINERAL. IENENS., PATRIOT.

BROCKHUSA-WE

ERFORDENSIS  
TYP. IOAN. CHRIST. GO

